



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von
Erfurti, 1675**

XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Eminentissimus Elector Clementia sua pertinaciam omnem liqueficerat, ut pudenter in optimum Principem peccasse, hinc alter alteri culpam imputabat. Fides data jure jurando confirmabatur, propounderente juramenti leges Secretario, omnis multitudo erectis ad Cæsum digitis subjectionem jurabat.

Galli bene
XXXII.
remunerati
Rhenum re-
petunt.

Rarissimum
munus Regi
ab Electore
oblatum.

Iisdem diebus f Rhenum auxiliares Galli repetiere. Officiales cum liberalissimis donis Elector dimisit. Pradellio gladius multis pretiosus gemmis, & plures equi obvenere. Ipsi Regi datum munus, f quod antiquitatis pretio omnem aestimationem superat: De Childerico Franco- rum Rege Clodovæ Patre suprā (a) dixi: is anno Christi DIX. die vigesimo septimo Novembris obiit, ac Tornaci ritu gentili um sepultus est, cumque nuper ibidem, gubernante Belgium Leopoldo Archiduce, Divi Cæsaris Ferdinandi III. Fratre, ruinosæ ædis fundamenta disjicerentur, (b) corpus unà cum vario Cimeliorum, & armorum apparatu, inventum casu, & refossum est. Hæc Leopoldus Viennam miserat, Galliarum Rege frequentissimis votis, ista Prædecessoris monumenta de siderante. Ablegavit Elector ad Cæsar is aulam Conradum Breuning suum è Socie tate

(a) Sub anno DXVIII.

(b) Vide Anastasii Childericianam Chisletii, in qua uberrima hæc ab oculato teste, & elegantissimis ectypis exhibentur.

tate Jesu Theologum , per quem à Divo Leopoldo Cæsare Augusto, istum antiquitatis thesaurum obtinuit , eum postea Regi Galliarum in grati animi tesseram obtulit.

Rector Universitatis † & proceres eleganti oratione Electori gratulantur , se atque Academiam Electori commendant. Pari elegantiâ respondet Elector , nec curae sibi tantum rem literariam futuram , † sed quantis etiam cunque impensis è pulvere , quo temporum injuriâ tecta jacuit , splendori pristino restituturum. Fidem dictis atque votis speratā dedit , postquam liberalissimis stipendiis , & vigilante curâ Academiam irrigavit , ut paulò post supra vota florere inceperit.

Monebant † transacta tempora , non solis promissis imperia stare , præterea ampliora Urbis munimenta videbantur , quam ut semper impleri præsidio ex Civitatis redditibus possent. Ideò Elector , quod jam ante sæcula Adalbertus (a) fecerat , arcem extruere , ex qua tam protegi adversus violentiam boni , quam contineri malii possent , ac montem S. Petri munimentis circumdare aggressus est. † Prosperius initis Princeps Monasteriensis , Christophorus Bernhardus ex Hungaria supervenit. Ibi annonæ præfectus exercitibus Imperii de comeatu prospexerat , Princeps Heroicis virtutibus , præsertim remilitari

XXXIII

*Universitas
literaria E-
ctoremxcii-
pit.*

*Eandē Ele-
ctor restau-
rat.*

XXXIV

*Citadella Pe-
trensis initi-
atur.*

*Princeps
Monasteri-
ensis Elec-
torem hic con-
venit.*

(a) Vide supra ad Annum MCXXII.